Observatio cometæ ad Ill.mo Dno Franc.o Bianchini habita Albani Mense octobri 1723, et ad eodem Ulyssiponem missa P. Joanni Baptæ Carbone Soc. Jesu.

27. Octobris, postquam Jovialium comitum situm observassem, forte in Costellationem Capricorni oculos conieci; cumque astra singula percurrerem, in quamdam veluti nebulosam stellam incidi, cæterum sane grandiorem, quam tamen eidem loci nunquam antea observaram. Rei novitatem perscrutaturus, eo telescopium direxi, statimque cometen esse deprehendi; siquidem tenuissimæ nebulæ globus apparuit, eiusque in medio veluti lucidus nucleolus. Idemque nudis oculis discernere licuit; et præter nebulam, seu cometæ atmosphæram, brevem quoque caudam, quæ ad Orientem vergebat, eratque huiusmodi .

Nè me igitur ea occasio præteriret, consueta circa illum observationes institui, ut eius longitudinem, latitudinem, propriumque motum deprehenderem.

Et quidem prima nocte, die nempe 27 supradictâ, transiit per Meridianum (qui pene cum Romano coincidit) circa horam 7.am 44'+, eiusque distantia à Zenith, grad. 69.° 29'. Hora 8. 11'. 30'' distantia cometæ à Lonahant Aquarii, intercepta est, grad. 20.° 33'. Et Hora 8. 17'. 30'' distabat à Stella β in humero dextero Aquarii, grad. 21.° 8'. Proindeque versabatur Cometes in grad. 11. 54' Aquarii, cum Latitudine Australi ab Ecliptica grad. 22.° 10', circiter.

+ post mer.

Die

Die 21 erat adeo proximus stellæ ε in lino supra manum sinistram Aquarii, quám ipsa ε est proxima stellæ μ minori in eodem lino, constituebatque cometes cum utraq; stella ε, μ rectam lineam, sic μ * ε * comet. Ex hac igitur observatione, et ex Ascensionis recte, nec non declinationis differentiâ inter cometen, et supradictam stellam ε quam diligentiss.e observavi, infertur locus cometæ fuisse in grad. 6.° 45 Aquarii cum latit. Boreali ab eclipt. gr. 8.° 5.

Hinc etiam infertur qualis cometæ motus proprius fuerit, et quale iter: per planum scilicet circuli maximi secantis eclipticâ in gradu 9 Aquarii, et constituentis cum eadem ecliptica angulum 80.° graduum circiter.

Reliqui dies eadem semper proportione movebatur, magisque in dies elongari a terra visus est.

Parallaxim nullam sensibilem, etsi ~~ejusdem~~ diuturnis intentaverim, deprehendere potui; proindeque maxima eius distantia à terra credenda est.

Hactenus Ill.mus Dnus Franc.us Bianchini in mathematicis scientiis apprime eruditus, et in observando, quoad noverim, accuratissimus. Cius observatio à nostra, mea scilicet, ac Pri Dominici Cassini vix in uno aut altero minuto quoad latitudinem discrepavit, cæterum omninò conformis. Quapropter nec illam hic arbitror apponendam.

P. Io: Bapta Cavone
Soc. Jesu.